

Q. K. 364, 26.

II m  
700

Q. F. F. Q. S.  
SCHEDIASMA HISTORICUM  
DE SECCULO,

Quod

FAVENTE AUCTORE SECULI,  
CONSENTIENTE AMPL. PHILOS. ORDINE,  
IN ILLUSTR. ALBERTINA,

*Publicè defendet,*

SUB PRÆSIDIO

M. DANIELIS HOYNOVII,

RESPONDENS

BARTHOLOMÆUS ANDREÆ,


Johannisb. Pruss.  
Theol. & Philos. Stud.

*Anno M. DCC. die Januar.*

H. L. Q. C.

---

REGIOMONTI,  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.  
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.



V I R O  
NOBILISSIMO, PRÆCLARISSIMO atq; DOCTISSIMO,  
DOMINO  
M. MICHAELI  
HOYNOVIO,  
Lœbnicens̄is Scholæ Rectori  
optimè merito,

*Avunculo, Patrono, Benefactori & Praeceptorī  
quondam suo,*

*Omni venerationis cultu prosequendo,*

Felix novi anni exordium, feliciorē ruentis  
Seculi epilogum,

Felicissimam omnigenæ prosperitatis confirmationem  
& tractationem apprecatur,

Et primitias hasce Academicas

*Piâ mente manuq;*

*consecrat*

BARTHOLOMÆUS ANDREÆ.



Non testudineum molimur gradum. Excindantur radices, properantium pedibus incommodæ! *Festina lentè. Curculio videtur esse exercitor, qui hunc hominem cursuram docet.* Non Fabio Cunctatori, sed Papirio Cursori in hocce stadio promittitur palma: quapropter nihil cunctandum! Hâc arte opus est ad rem, quam paro. *Si parturit, cæcos pariet: adeò festinat!* Cedite remoræ: eminor, interminorque, ne quis mi obstitit obviam. *Cedite, precor, ne recens iste, Consul an Prator? exclamet: animadvertite Licetor! Aurea poma fero. Imo aureos montes. Forsitan in bicipiti Parnasso hortos Hesperidum hodie somniavit. Aurea poma, & in argenteis quidem patinis, fero. Numquid Pythagorica metempsychosis reviviscit? Pyrgopolinices hominem hunc intravit; adeò magnifica jactat! Solò ille Spiritu legiones diffabit, & unò ictu, ni hebes fuerit machera, quingentos occidet.* Sermonem tempori accommodatum instituo. *Itane? Jam ego citius, quam asparagi coquuntur, & Davo factus sum Oedipus. εὐρηκα. Fateor, aurea à te poma in argenteis afferri patinis, qui accommodatum tempori sermonem instituere decrevisti. Prov. 25. 11. De SECULO*

-- -- doctos inter strepet anser olores.

§. II. *Seculi nomen non est Græcæ originis. Non enim impetrabit album calculum Turnebus, qui illud à Græco ἡλικία deductum putat. In Latio potius Seculi natales sunt quærendi. Sed num à verbo sequor derivatum est? Ita opinatur Isidorus Hispalensis; sed non satis commodè. Inde, inquit, secula, quod se sequantur; abeuntibus enim aliis alia succedunt. Lib. V. Origin. cap. XXXVIII. Num à nomine Senex? Inde trahit Varro; sed obtorto ferè collo trahit. Seculum, inquit, spatium annorum centum vocarunt: dicitur à Sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. Lib. V. de Lingua Lat. Indica igitur Seculi incunabula. Verbum Seco nodum hunc non secabit, sed optimè solvet. A seclum fit seculum, quemadmodum à jactum fit jaculum, ab inusitatò spicio & spectum fit speculum, à vinclum fit vinculum, à cinclum fit cingulum, quia à cingo. En analogiam! Instas: Seculum in vetustis monumentis scribitur; ergo non est à seco, verum ab obsoleto & Osco aut Casco aliquo seco. Non diffiteor; scribi-*

tur *Seculum*; non tamen ad ostendendam originem, sed ad indicandam discrimen à *seculis*, quæ sunt falces messoriæ. vid. Beem. Orig. sub tit. *Socius*.

§. III. Seculi nomen varias habet significaciones, quas, ut res fiat perspicua, ad ternarium revocabimus numerum. *Prima significatio est tum Biblica, tum etiam Ecclesiastica.* Namque Scriptores Ecclesiastici Latinam Bibliorum versionem secuti, *seculum & mundum* pro Synonymis habent. Fecerunt hoc Latini ad imitationem Græcorum, & Græci ad imitationem Hebræorum, teste Vorstio lib. de Latinit. meritò suspecta cap. XX. Scilicet Hebraica vox  $\text{סֵדֶק}$  & tempus & mundum significat. Græcus autem Interpres videns, quod vox  $\alpha\iota\omega\upsilon\alpha$  tempus significet, eandem adhibuit non tantum ibi, ubi  $\text{סֵדֶק}$  tempus significat, sed etiam ubi mundum innuit. Græcum imitatus Latinus, *seculo*, quod propriè tempus significabat ( $\sigma\acute{\epsilon}\kappa\upsilon\lambda\alpha$  γὰρ τὸν αἰῶνα Ῥωμαῖοι καλεῖσι, nam Græci *seculum* vocant *etatem*, scribit Zosim. lib. II. Hist. Novæ cap. I. ad quem locum Commentator observat, in Singulari numero legendum esse  $\sigma\acute{\epsilon}\kappa\upsilon\lambda\omicron\upsilon$  seu  $\sigma\acute{\eta}\kappa\upsilon\lambda\omicron\upsilon$ , vel, ut doctiores malunt,  $\sigma\acute{\alpha}\mu\kappa\upsilon\lambda\omicron\upsilon$ ) etiam mundi significacionem induit. Ita Genes. VI. v. 4. Gigantes dicunt  $\text{גִּבְרֵי מְהוּמָה}$  apud LXX. Græcos  $\alpha\iota\omega\upsilon\alpha\tau\epsilon\varsigma$ ,  $\alpha\iota\omega\upsilon\alpha\tau\epsilon\varsigma$  in vulgatâ Latinâ *potentes à seculo*, apud B. Lutherum *Gewaltige in der Welt*. Item Habac. III. v. 6. hæc habentur  $\text{עֲבָרֵי הַבְּרֵשֶׁת}$  apud LXX. Græcos  $\epsilon\pi\acute{\alpha}\kappa\eta\tau\alpha\upsilon\beta\epsilon\tau\omicron\iota\alpha\iota\omega\upsilon\alpha\iota$ , in Vulgatâ Latinâ, *incurvati sunt colles mundi*, apud B. Lutherum, *musten sich bücken die Hügel in der Welt*. Similiter Psalm. 73. v. 12. ubi Lutherus habet *Welt* ibi Vulgata *seculum*, LXX. Græci  $\tau\omicron\upsilon\alpha\iota\omega\upsilon\alpha$ , Hebræus  $\text{עוֹלָם}$ . Sed & in Novo Testamento talia occurrunt exempla. Nam ad Rom. XII. v. 2 dicitur:  $\mu\eta\ \sigma\upsilon\gamma\chi\eta\mu\alpha\tau\acute{\iota}\zeta\epsilon\theta\epsilon\ \tau\omega\ \alpha\iota\omega\upsilon\alpha\tau\acute{\iota}\tau\omega$ . Vulgata habet: *Nolite conformari huic Seculo*. Lutherus: *Stellet euch nicht dieser Welt gleich*. Neq; acquiescit in hac significacione *Seculi* nomen, sed ad exprimendam *æternitatem* adhibetur. Nam Psal. XC. v. 2. dicitur:  $\text{עוֹלָם - עוֹלָם}$  LXX. Græci habent:  $\alpha\pi\omicron\ \tau\omicron\ \alpha\iota\omega\upsilon\alpha\tau\acute{\iota}\tau\omega\ \epsilon\omega\varsigma\ \tau\omicron\ \alpha\iota\omega\upsilon\alpha\tau\acute{\iota}\tau\omega$ , Vulgata: *à seculo usq; in seculum*. Lutherus: *Von Ewigkeit zu Ewigkeit*. In subsequente Psal. CIII. v. 17. eadem phrasis Hebræa occurrit, quam Vulgata ita reddidit: *ab æterno & usque in æternum*. Junius autem & Tremellius habent: *inde à seculo usq; in seculum*. Ex his certum est, quod *Seculum* stylo Biblico & mundum & æternitatem significet.

§. IV.

§. IV. Stylum Biblicum imitati Doctores Ecclesiæ, seculum pro mundo accipiunt. Ita Sulpitius Severus Lib. I. Hist. Sacræ cap. 4. dicit, post diluvium Noachicum fuisse *Vacuum Seculum*; Vorstius in notis ad h. l. addit: *Seculum pro mundo, rursus per Hebraismum*. Imo adeo familiare est Scriptoribus Ecclesiasticis seculum pro mundo capere, ut etiam *seculare*, ipsis idem sit, quod *mundanum*, oppositum divino, cœlesti, Spirituali, Sacro, Ecclesiastico. Lactantius lib. V. Instit. Divin. cap. XV. n. 7. *Vitam secularem* nominat, id est, mundanam, cœlesti, sive æternæ oppositam. Idem l. c. cap. XXII. n. XI. de Senecâ dicit, quod non planè *imperitiâ seculari* fuerit locutus; ubi rursus *seculare* pro eò capitur, quod est merè mundanum, à rebus divinis alienum. Cyprian. Epist. LXIII. p. m. 103. nominat *vinum seculare & saporem secularem*, i. e. mundanum, divino oppositum. Rigaltius enim in notis ad h. l. addit: *Saporem vini communis & profani dicit esse saporem secularem, cui opponit intellectum Divinum*. Denique inter lippos & tonsores jam innotuit, *Principes seculares* contradistingui Ecclesiasticis, & *brachium seculare* opponi potestati Ecclesiasticæ. Tantum de significatione Seculi Biblicæ & Ecclesiasticæ.

§. V. *Uda Seculi significatio* est Romana, quæ quidem (α) *stylo vulgari* seculi nomen ad significandam temporis indeterminati portionem restringit. Ita Florus lib. II. c. XVI. dicit: *Quasi seculum illud everfionibus urbium curreret, &c.* item cap. XIX. scribit: *reliqua secula grandia, turbida, fœda*. Item: *actum esset, nisi Marius illi seculo contigisset*. Lib. III. cap. III. Ubi quidem seculo certam annorum periodum non assignat. Cicero quoque Lib. I. Tuscul. Quæst. num. 31. ait: *serit arbores, quæ alteri seculo profunt*. Sequentem autem num. 33. inquit: *inberet in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum*; ubi de immortalitate animarum loquitur, earumque durationem secula, sine determinato annorum numero, appellat. Simili modo Tacit. Lib. I. Hist. cap. 3. scribit: *Non tamen adeo virtutum sterile seculum, ut non & bona exempla prodiderit*. Idem Tacitus seculum pro moribus seculi adhibet, quando lib. de Morib. Germ. cap. 19. scribit: *Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur*. (β) *Stylo peculiari & Sacris Romanorum accommodato*, seculum significare debebat determinatam annorum periodum. Sed unde ille certus annorum numerus, seculo assignandus? Ab aliis aliunde: à Romanis autem à solennitate ludorum *Secularium* petebatur.

§. VI. Alii, inquam, aliunde mensuram Seculi petebant, scilicet à longissimâ

4  
gissimâ hominis ætate: *Seculum est spatium vite humana longissimum, partu & morte diffinitum.* scribit Censorinus lib. de die Natali cap. de Saeculo. Addit, nonnullos annis XXV, alios annis XXX, Seculum definivisse. Porro Poëtas & Græcos Historicos hæc incredibilia scripsisse affirmat, Regem quendam 150. annorum fuisse, alios autem Reges ad 300. annos vixisse. Quâ, quæso, censura usus fuisset bonus Censorinus, si de longævitate Patriarcharum Antediluvianorum aliquid inaudivisset? Pergit ad Astrologos, quorum quidam 112. alii 106. nonnulli 120. annos longissimæ hominis vitæ assignarunt. Quilibet igitur horum eandem cuilibet seculo quantitatem voluit assignare. Aliter Hetrusci: hi enim, quamvis etiam longissimam hominis ætatem respexerint, in eâ tamen determinandâ alium adhibuerunt modum. Scilicet, diem quo urbs aliqua constituebatur, observabant, simulque, quinam eâ die nati essent, annotabant. Quisquis igitur horum, primâ die urbis conditæ natorum diutissimè vixerat, ille morte suâ primum finivit Seculum. Annotabantur porro reliqui, qui eadem die in civitate vivebant: ex his qui rursus diutissimè vixerat, morte suâ secundum terminavit seculum. Simili modo apud eos etiam reliqua determinabantur Secula. Addit Censorinus, quatuor prima Hetruscorum Secula fuisse annorum CV. quintum CXXIII. Sextum CXIX, Septimum totidem, octavum eò tempore nondum fuisse finitum, quò hæc Thuscorum Historia scribebatur. Hæc aliis placuerunt: Romani autem Ludorum Secularium Solennitate Secula distinguebant.

§. VII. Ludi Seculares Romanis ita videntur fuisse proprii, ut Græci quoque Latino vocabulo ad eos nominandos fuerint usi. Zosimus τὴν τῶν Σεκλαρίων ἑορτὴν appellat, lib. 2. Hist. Novæ cap. VII. (Herodianus tamen Ludos istos αἰωνίαις nominat, Lib. 3. Histor.) Nec mirum: cum ipsis & κῆνος & ἀγκυρίαις & alia hujusmodi Latina jus civitatis extorserint. Origo Ludorum Secularium hæc fuisse perhibetur. Valeus Valesius (à quo Valerianæ familiæ nomen) Vir inter Sabinos illustris, de fanitate filiorum suorum admodum sollicitus, jussus est, nescio cujus deæstri voce, Tarentum (NB. in ripa Tiberis situm) pueros abducere, eisque aquam Tiberinam, in foco Ditis patris & Proserpinæ calfactam, bibendam dare, quò factò, pueri prius somno sunt oppressi, deinde convalescunt. Discussio somno, somnii meminerant, quod statim Patri indicarunt. Scilicet visus ipsis est per quietem Vir magnus, & divinam formam gerens, præcipere, ut in Campo Martio Diti patri & Proserpinæ, nigrae immolarentur hostiæ, continuumque trinoctium carminibus & tripudiis  
exi-

exigeretur. Valesius igitur properat & in eo loco atque foco, ubi aquam calefecerat, aram exstruere conatur. Dum verò locus foditur, reperitur ara subterranea, jam facta, cum inscriptione: DITIS PATRIS AC PROSERPINÆ. Quapropter Valesius labore intermisso, cæsisque nigris hostiis ludos nocturnos celebravit. Prolixius hæc narrat Zosimus lib. 2. c. 1. 2. Eiusdem rei narrationem texit etiam Valer. Maxim. lib. II. c. 4. num. 4. nonnullas tamen circumstantias melius, quàm Zosimus, exprimit. Scilicet duos pueros & filiam Valesius calidâ aquâ sanavit; quapropter tribus continuis noctibus Sacra erant facienda, quia totidem liberi periculo erant liberati. Porro, Valesius aquam calefecit ad ignem è terra prorumpentem. Item, expergefacti liberi nunciarunt, vidisse se in somniis, à nescio quò Deorum, corpora sua spongiâ detergeri, & ab eo præcipi, ut non tantum furvæ hostiæ immolarentur, verum etiam ut *lectisternia* fierent. Ab hoc Valesii fato & facto initium Ludorum Secularium derivant Valer. Maximus & Zosimus.

§. VIII. Sed unde illa ara subterranea, quæ egestâ ad XX. pedum altitudinem humò, est inventa? Hanc quidem Valesio fuisse antiquiorem, necesse est. Origo ejus à Zosimo lib. II. c. III. ita indicatur: *Bellum inter Romanos & Albanos erat: Scum utriq; jam in armis essent, quidam prodigiosa facie conspectus est, amictus pelle nigra & clamans: Ditem Patrem atque Proserpinam eis imperasse, rem sacram sibi prius sub terrâ facerent, quam ventum ad manus esset; atque his dictis evanuit. Romani spectro territi & aram sub terrâ struxerunt, & factâ re sacrâ rursus aram humo ad XX. pedum altitudinem egestâ, obruerunt: ut, præter Romanos, aliis omnibus nihil de eâ constaret.* Credibile igitur est, aram hæc structam esse tempore Tulli Hostilii, Romanorum Regis Tertii, utpote quo regnante bella adversus Albanos sunt gesta, & ipsa Alba tandem est diruta, Albanis Romam translatis, sed Metio Suffetio, eorum Duce, perniciousis equis distracto & lacerato. *Florus* lib. I. cap. 3. *Livius* lib. I. Ad hæc igitur tempora originem istius aræ esse referendam, verisimile est: quò autem Rege, aut quò Consule Valesus Valesius Tarentum sit profectus, determinatu non est facile, nisi id velis è Valerio Maximo colligere, qui scribit, accidisse hoc, *cum ingenti pestilentia Urbs, agriq; vastarentur.* Hoc verò cum inter Tullum Hostilium & Valerium Poplicolam (qui primus Consul fuit, & ludos hosce, Valesium imitatus, celebravit) non semel tantum factum sit, iterum ætas Valesii relinquitur incerta.

§. IX. Quibus ritibus celebrati sint Ludi Seculares, primum è ear-

minae Sibyllino, deinde ex ipsorum Ludorum variis exemplis discimus. Car-  
men sive Oraculum Sibyllæ (de ipsis libris Sibyllinis, quos Romani rebus  
dubiis evolvebant, multa dicere, non est nostri propositi; conf. interim  
Dionysius Halicarnass. lib. IV. Antiqu. Rom. cap. LXX.) à Zosimo totum  
exhibetur. Versio hujus oraculi Latina duplex sese nobis obtulit, alia apud  
Rosinum lib. V. Antiqu. Rom. cap. XXI, alia in ipsius (Zosimi versione,  
quam Johanni Leunclavio tribuunt. Utraque diversis quidem verbis est  
expressa, sed sensum prorsus eundem exhibet. Posterior versio ita sonat:

*Ast ubi mortalis longissima venerit ætas  
Vite, Centenis denis redeuntibus annis;  
Sis Romane memor, nec te ulla oblivia fallant:  
Sis memor, ut facias Diis immortalibus illo  
Rem sacram in campo, quem Tiberidis adluit unda.  
Nox brevior tenebris terras ubi texerit atris,  
Solq; suum jubar abdiderit, tum victima Parcæ  
Agnorum atq; ovium pariter cadat Oceaninis.  
Postea ceruleæ placantor & Ilithyia  
Lucina, quibus hæc sacris decet. Inde feraci  
Telluri porcus mactator, cum sue nigræ.  
Inde boves nivei Jovis adducuntor ad aram,  
Idque die, haud noctu. Nam Diis cælestibus una  
Sacra diurna placent. Similes his sunt juvenca  
Junonia, nitidam capiant altaria vaccam,  
Hinc & sacra feret paria abs te Phæbus Apollo,  
Latonâ genitus, quem Solem nomine dicunt.  
Pæanasq; canent sublatâ voce Latini  
Ædibus in sacris pueri innuptæq; puella,  
Sic tamen: ex alia ut consistant parte puella,  
Ex aliâ pueri dicant sua carmina: quorum  
Salvus uterq; parens fruitur vitalibus auris.  
At que nuptarum fuerint numeroq; locoque,  
Assideant flexis genibus Junonis ad aram,  
Divam exorantes cunctorum ut vota secundet:  
Vota quidem & martium, magis at muliebria vota.  
Quilibet eque domo secum ferat omnia, que fas  
Mortales superis ceu primitias epularum,  
Mitibus & divis, divis offerre beatis*



*Calitibus, sint haec omnes circumdata per aras,  
 Ex his suppedites, ut formellis, maribusque,  
 Qui sacris aderunt. Etenim noctesq; diesq;  
 Vis hominum praesens ad pulvinaria divum  
 Ingens sit numero, ludicra & seria tractans.  
 Hec adeo tibi sint memori bene condita mente.  
 Itala sic tellus omnis, tellusque Latina  
 Aeternum tua sceptrum colet, tua iussa capesset.*

§. X. Exempla Ludorum Secularium, quoad haec essentialia, in  
 carmine proposita, conveniunt; Sed quoad pretiosum apparatus & pom-  
 pam externam differunt. Valerius Poplicola, primus apud Romanos  
 Cos. Ludos hosce fecit, sed non solenni pompa, ut habet Polyd. Verg. lib.  
 IV. de Invent. Rer. cap. XIV. Sequentibus temporibus aucta Imperii Maje-  
 state, auctis opibus & luxuria, etiam pompa horum ludorum facta est  
 major. Certè Philippus Imperator Ludos Seculares tanto apparatu celebra-  
 vit, ut XXXII. Elephantos, Alces X, Tigres X, Leones mansuetos LX, Leo-  
 pardos mansuetos XXX, Belbos, i. e. Hyenas L, gladiatorum Fiscalium pa-  
 ria mille, Hippopotamum & Rhinocerotem unum, Archoleontes X, Ca-  
 melopardalos X, Onagros XX, Equos feros XL, & caetera hujusmodi  
 animalia innumera vel dederit, vel occiderit. Vid. Jul. Capitolin. in Gor-  
 dianis trib. p. 350. Ut pleniorum rituum istorum cognitionem habea-  
 mus, operæ pretium facturi videmur, si adduxerimus ea, quae Zosim. lib. II.  
 cap. V. hunc in modum scribit: *Circumeuntes praefones* (Herodianus  
 addit: *Urbe tota & Italia*) *universos invitabant ad spectaculum, quod  
 neq; vidissent antea, neq; visuri posthac essent. Ipso autem mensis tem-  
 pore per paucis diebus ante, quam ludi peragerentur, in Capitolio,  
 templisq; Palatino XV viri sedentes in suggestu, lustralia populo distri-  
 buebant. Ea sunt, faces & sulphur & bitumen. Nec participes horum  
 servi sunt, sed liberi duntaxat homines. Postea quam populus uni-  
 versus in locis iis, quae diximus, & in templo Dianae, quod est in Aven-  
 tino colle, convenit, triticum & hordeum & fabas quisq; secum fert, ac  
 Parcibus nocturnos ludos caste pudicèq; faciunt. Ubi ludorum tempus  
 appetit, quos tribus diebus, totidemq; noctibus in campo Martio faciunt,  
 hostiae propter ripam Tiberis ad Tarentum Diis consecrantur. His au-  
 tem diis rem sacram faciunt, videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonae,  
 Dianae, tum praeter hos, Parcibus, & Lucinis, & Cereri, & Diti patri, & Pro-  
 serpine. Primam noctem spectaculorum ad horam secundam tribus aris in  
 ripa*

ripâ fluminis constructis, Imperator cum XV viris tres agnos cedit, & aris sanguine respersis, solidas victimas adolet. Scenâ verò sine theatro constructâ, lumina cum rogis accendantur, & hymnus recens factus canitur, adeoq; spectacula consentanea rebus Divinis eduntur. Et hæc qui peragunt, pro mercede primitias fructuum, tritici, hordei, fabarum accipiunt. Nam, ceu dictum est, illæ ab universo populo distribuuntur. Postridie conscenso Capitolio, & consuetis ibidem immolatis hostiis, ad constructum inde theatrum progressi, Apollini & Dianæ ludos faciunt. Insequenti die matronæ nobiles ad horam, ab oraculo constitutam, in capitolium convenientes Deo supplicat, & hymnis eum, ceu fas est, celebrant. Die tertio in Apollinis æde Palatina ter novem illustres pueri, cum totidem virginibus, omnes utrinq; florentes, hoc est, qui ambos adhuc parentes superstites habent, hymnos & Pæanes Græcâ, Romanâq; lingua canunt, quibus subjunctæ Romanis urbes servantur. Eidem alia secundum præscriptum divinitus modum peragebantur; que sane quamdiu peracta fuerunt, nullum Respublica Romana detrimentum cepit.

§. XI. Hæc de Ludis Secularibus prolixiusculè proponere placuit, triplicem potissimum ob causam. Primò quidem, ut hancce antiquitatis Romanæ particulam unò quasi intuitu hic conspiciant, qui ipsos Scriptores evolvere vel ob penuriam non possunt, vel ob molestiam nolunt. Deinde, ut appareat, quid tribuendum sit narrationi Polydori Vergilii, qui institutum à Bonifacio VIII, Romano Pontifice esse Jubilæum dicit, ut iste populum, cum primis Romanum, ab inani Secularium Ludorum celebratione ad verum solenne sacrum reduceret, lib. VIII. de Invent. Rer. cap. I. Quis enim hoc Polydoro vel juranti credet? Etenim Bonifacius VIII. Jubilæum instituit, A. C. 1300. teste Platina in Vitâ ejus p. m. 247. Ultimi verò ludi Seculares celebrati sunt sub Philippo Arabe Imperatore, juxta Calvisium A. C. 248; quam ob rem hanc querelam movet Zosimus lib. 2. c. 7. Constantino & Licinio tertium Coss. ludos consuetò more celebratos oportuit. Eò verò non observatò ad infelicitatem illam res prolabi necesse est, que nos urget. Adeone tenax fuit populi Romani memoria, ut rem, plus quam mille annis intermissam, fuerit restauraturus? Aut, num inde ab introducto Christianismo ad illa usque tempora religio Christiana in animis populi Romani tam altas nondum egerat radices, ut metuendum fuerit Pontifici, ne populus Jovem, Junonem, Apollinem, Dianam &c. adoraret? Aut, num tempore Bonifacii VIII, templa Romana cultui Jovis,  
Dia-

9  
Dianæ &c. adhuc patebant? Denique si Jubilæum memoriam Ludorum  
Secularium debebat abolere, eccur jussu Clementis VI. Pontificis ad quin-  
quagesimum annum est revocatum? Platina in vitâ ejus p. m. 259. Cur  
jussu Urbani VI. trigesimo quoque annò (ap. Platinam p. 271. additio ex  
Onuphrio habet annos tres & triginta) debuit celebrari? Cur denique Sixtus  
IV. decrevit, ut redeunte XXVto anno celebraretur? *Polyd. Vergil. lib.*  
*VIII. cap. I. & Onuph. in Chron. Pontif. Rom.* Num hisce præsertim an-  
nis periculum fuit, ne populus Romanus in illam ludorum licentiam pro-  
laberetur? Atqui Paulus II. Sixti IV. antecessor populo Romano, ad imita-  
tionem veterum, ludos quam magnificentissimos & epulum quam lautissi-  
mum instituit. Ludi autem erant pallia octo, quæ cursu certantibus in car-  
nispriviõ proponebantur singulis diebus. *Currebant senes, adolescentes,*  
*juvenes, Judæi, ac seorsum pastillis primò quidem pleni, quò tardiores*  
*in cursu essent. Currebant & equi, equæ, asini, bubali tantâ cum omni-*  
*um voluptate, ut omnes præ risu pedibus vix stare possent &c.* Vid. Pla-  
tina in Paulo II. p. 335. Aliam igitur ob causam institutum est a Pontificibus  
Jubilæum, nempe ut ingens vis pecuniæ undique corraderetur, & indulgen-  
tiæ majori numero venderentur. Etenim tempore Bonifacii IX. *Indul-*  
*gentiæ, & quidem plenariæ, ita passim vendebantur, ut jam vilesce-*  
*ret clavium & literarum Apostolicarum auctoritas,* scribit Platina in  
Bonifacio IX. p. 275. Pecuniam igitur quærebant Pontifices: pecuniæ er-  
gò tot largiebantur indulgentias: cumque annus Jubilæus vendendis in-  
dulgentiis videretur aptissimus, quapropter eum & instituerunt, & sæpius ite-  
rari voluerunt. Digna utique sunt notatu, quæ hâc dere in Art. Smalc.  
p. 324. habentur: *Hac ratione cum accresceret pecunia & nundinatio*  
*bullarum esset fructuosa, excogitavit (Papa) annum aureum, Jubi-*  
*læum, verè auriferum (Zubels Jahr/ Guldens Jahr) quem Romæ ce-*  
*lebrari voluit. Hunc appellabat remissionem omnis culpæ & pænæ. Ac-*  
*currebant igitur plurimi, quia ab onere molestissimo liberari unusquis-*  
*que cupiebat. Hoc erat effodere & conquirere thesauros terræ. Mox*  
*Papa annos aureos multiplicabat, & alium super alium accumulabat,*  
*& quo plus auri devorabat, eò plus fauces ipsius appetebant. Quanta*  
autem pecunia his artibus fuerit collecta, dici satis vix potest. Ich habe D.  
Martinum Luther/ und D. Justum Jonam zu Schmiedeberg einmahl selo-  
ber davon hören reden / daß der Papst jährlich mehr denn achtzehen-  
mahl hundert tausend Guldene aus Deutschland mit dem Ablass ges-  
schunden habe / scribit Antonius Otto Herzberger in Tract. von dem  
tröstlichen Ablass auf das Guldene Jahr 1570. Hæc igitur magis sunt  
B conso-

consona vero, quam ea, quæ Polyd. Vergilius l. c. recensuit. Denique hanc ob causam de Ludis Secularibus paulò prolixius disseruimus, ut ex eorum intervallis magnitudinem Seculi Romani, tanquam a posteriori, demonstrare possemus.

§. XII. Ergò, quod bonum, faustum, felixque sit dissertationi nostræ, intervalla celebratorum Ludorum Secularium secundum annos Urbis conditæ, hoc modo disponimus:

- A. U. C. 255. Valerius Poplicola Cos. *primos* Ludos Seculares instituit, teste Censorin. lib. de die Nat. cap. de *distinct. etat. hominis*. Poplicolam hunc nominant etiam *Valer. Max. Zosimus. Polydorus*. Sed quia Zosimus lib. II. cap. 3. scribit: Factum hoc esse primò post exactos Reges annò, Reges autem annos 244. regnarunt, teste Livio lib. I. in fin. Ergò ludi hi referendi essent ad A. U. C. 245. Hujusmodi dissidia reperiemus plura.
- A. U. C. 299. M. Valerio Maximo & Sp. Virginio Coss. celebrati sunt ludi Seculares *secundi*, ut colligere est e Censorini l. c. Conf. Calvis. ad A. M. 3495. Fatetur tamen Censorinus, quod alii alium annum, alios Coss. his ludis assignent. Zosimus enim lib. II. cap. IV. A. U. C. 352. & ipse Censorinus l. c. ex aliorum sententiâ A. U. C. 410. Ludos Seculares factos esse scribunt.
- A. U. C. 518. *tertios* ludos fuisse Censor. l. c. docet, sed quoniam triplices Consules circa hos ludos nominat, ideoque annus ludorum etiam est incertus. De his ludis confer. Calvis. ad A. M. 3605. 3608. & 3714.
- A. U. C. 605. *quartos* ludos Martio Censorio & M. Manlio Coss. exhibitos docet Censor. l. c. consentiente Zosimo lib. II. cap. IV. Affirmat tamen, quod alii ad annum 603. non nulli etiam ad annum 629. U. C. & sic etiam ad alios Consules, hosce ludos referant.
- A. U. C. 737. *quintos* ludos exhibuere Augustus & Agrippa, Furnio & Jun. Syllano Coss. Vid. *Censorin. Meminit* horum ludorum *Sveton. cap. 31. in Augusto*. Eosdem ludos quintos appellat & iisdem Consulibus celebratos docet *Dio Cassius lib. LIV. ad A. U. C. 737. Sed Zosimus l. c. & Rosin. lib. V. Antiqu. Rom. cap. 21. longè diversissimos Consules nominant*. In hisce ludis Horatius Poëta carmen Seculare composuit, quod in libro Epodon ultimum occupat locum. Decrevit etiam Augustus, ut ludi isti CXmò quoque anno repeterentur, quod Censorin. cap. de Seculo e Commentariis XVvirorum & ex edictis Augusti probat, itemq; ex illo carmine Horatii.

*Certus undenos decies per annos  
Orbis ut cantus referatque ludos.*

Quæ

11

Quæ quidem carminis hujus lectio placet Censorino, Rosino & præterea  
consona est carmini Sibyllino, quod §. 9. proposuimus. Placet etiam an-  
tiquo Horatii Commentatori, qui testatur, se eam in quatuor Codicibus  
invenisse. Igitur mirum est, quod Ludovicus Vives legendum putaverit,  
Johannes autem Bond expresse legerit :

*Certus ut denos decies per annos &c.*

A. U. C. 800. *Sextos* ludos celebravit Claudius Imperator. Hunc ego an-  
num hic ponere malui, quam annum 741. quem ap. Censorinum reperio.  
Quis enim credet inter imperium, atque adeo etiam inter ludos Augusti  
& Claudii tantum 4. annos intercessisse? Celebrati sunt ludi isti Clau-  
dio IV. & Vitellio III. Consulibus, ut fatetur ipse Censorinus. Horum ve-  
rò Consulatum in 800um Urbis annum incidisse, testatur Dio Cassius  
lib. LX. p. m. 879. Porro Claudius hosce ludos edidit anno LXIVto post  
editos ab Augusto, Vid. Calvis. ad A. M. 3996. *Quare vox præconis  
irrisa est, invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quis-  
quam, nec spectaturus esset, cum superessent, qui adhuc spectaverant,  
& quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur.*  
Sveton. cap. XXI. in Claudio.

A. U. C. 841. *Septimos* ludos Domitianus, se XIV. & Minutio Rufo  
Coss. edidit & tempus ab Augusto constitutum melius observasse visus  
est.

A. U. C. 957. (erravit enim Typographus, qui apud Censorinum annum  
867. posuit) *Octavos* ludos edidit Septimius Severus Imperator, Chilone  
& Libone Coss. præterlapsis circiter 110. annis, ut Zosimus tradit lib. II.  
cap. 4. Conf. Herodianus lib. III. qui ipse horum ludorum fuit spectator.

A. U. C. 1000. *Nonos* ludos instituit Philippus Arabs Imperator, de cujus  
apparatu non nihil e Capitolino diximus §. 10. Sed horum ludorum &  
Censorinus mentionem facit nullam, & Zosimus affirmat, post Severum  
ludos Seculares debuisse celebrari a Const. M. attamen esse neglectos.

§. XIII. Vides quam diversa sint in ludis Secularibus annorum intervalla?  
Ergo e ludis Secularibus de Seculo Romani magnitudine nihil certi haurie-  
mus. Consentit Censorin. qui cap. de Seculo ita scribit: *Romanorum au-  
tem Secula quidam ludis Secularibus putant distingui: cui rei fides se-  
certa est, modus Romani Seculi est incertus. Temporum enim interval-  
la quibus ludi isti debeant referri, non modò quanta fuerint retrò,  
ignoratur, sed ne quidem, quanta esse debeant, scitur.* Et cap. de distincti-  
ætate hom. scribit, *his ludis Secula discerni non posse.*

§. XIV. Illius *Seculi* significatio est Chronologica, quæ Seculum tempus

aliquod determinatum, id est 100. annis definitum, complectitur. Hanc significationem antiqui illi Scriptores probè sciverunt. Censorinus l. proximè c. inquit: *Civile Romanorum Seculum centum annis transigitur.* Sext. Pomp. Festus scribit: *Seculum in centum annos extendi existimant.* Simili modo & Varro: *Seculum*, inquit, *spatium annorum centum vocarunt*, lib. V. de Lingv. Lat. p. m. 32. (Non placet nobis, nisi forsan in sensu Biblico, eoque non quotidiano, Isidori sententiâ, qui ex mente quorundam docet, Seculum esse idem cum Jubilæo Hebræorum, & quinquaginta annis absolvi lib. V. Orig. cap. 38.) Porro è recentioribus Polyd. Vergilius scribit: *Seculum est centum annorum spatium*, lib. IV. de Invent. Rer. cap. XIV. & lib. VIII. cap. I. Strauchius quoque hanc Seculi definitionem tradit: *Seculum communiter est spatium centum annorum*, in Breviar. Chronol. pag. 123.

6. XV. Seculi Chronologici rationem habere benè perspectam, non est ultima peritiæ Historiæ particula: hæc enim in re qui titubarunt, non parvam existimationis suæ apud viros doctos fecerunt jacturam. Exemplo nobis esto Thomas Clagius, Lindæ Marianæ encomiastes, de cujus peritiâ Historica è Seculi dispositione & appellatione judicat Clariss. Hartknoch inquit: *Daraus schließt nun Clagius -- also muß ja die H. Linde schon im Anfange des vierzehenden Seculi (also nennet er etliche mahl das Seculum von An. 1400. biß 1500. daraus man seine Wissenschaft in Historischen Sachen leicht erkennen kan) gebaut gewesen seyn.* Preussis. Kirchen. Hist. pag. 188. Simili modo erravit Kwiatkiewicz Jesuita, quando annos 150. 190. ad Seculum Ium; Annos 230, 240. ad Seculum IIum; annum 380. ad Seculum III. retulit; quâ de re in disp. meâ adv. Kwiatk. pag. 87. nonnulla dixi. Alium errorem nobis Lipsia nuper peperit. Catalogus enim librorum, qui nundinis autumnalibus anni præteriti inde prodiit, Lit. G. 3. hunc quoq; libelli titulum exhibet: *Curioser und sehr nützlicher Calender/ welcher auf das 1700de Seculum nach Christi Geburt biß 1800. gestellet 2c.* Quodsi verum est, tot Secula a Christo nato esse præterlapsa, tum præsens annus hoc numero erit exprimendus 170000. quod absurdum. Eundem errorem jam antea erravit Apostata quidam, qui in tractatu suo pag. 80. ita scribit: in dem 14. 15. und 16. hundertten Seculo. Vis, secula hæc in annos convertam? En tibi 140000. 150000. 160000. annos, quos in fabulosis Babyloniorum & Chinensium annalibus vix reperies. Cum ergò talia, non tam gloriosum sit scire, quam turpe ignorare, quapropter tironibus meis, quibus Tabulas Chronol. C. Schraderi, Prof. Helm. proponere soleo, ante omnia Seculi notitiam inculco, ne sine his  
alis

alis volare audeant. In horum etiam gratiam hic unam atque alteram quaestiuunculam annecto.

§. XVI. *Queritur I. Ubi seculum incipiat, ubi desinat?* quæ quaestio quantitatem Seculi determinari poscit. Ut hæc quaestio solidâ responsione decidatur, accipiendum est aliquod Seculum, quod possit norma reliquorum constitui. Et quoniam nos annis Æræ nati Christi utimur, quapropter *Suppono I.* Seculum I. a Christo nato esse benè determinandum, utpotè cum hoc solum instar normæ reliquorum esse possit. *Suppono II.* Seculum esse spatium centum annorum solidorum & completorum, quoniam aliam Seculi definitionem vix quisquam tradiderit. *Suppono III.* Ad complendam centuriam requiri decem decades (juxta illud: *Zehenmahl zehen ist hundert*) quæ se se citra controversiam hõc ordine excipiunt:

<i>Decas I.</i> 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10	<i>Dec. VI.</i> 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60
<i>Dec. II.</i> 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20	<i>Dec. VII.</i> 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70
<i>Dec. III.</i> 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30	<i>Dec. VIII.</i> 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80
<i>Dec. IV.</i> 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40	<i>Dec. IX.</i> 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90
<i>Dec. V.</i> 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50	<i>Dec. X.</i> 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100

*Suppono IV.* Totum habere omnes suas partes, & omnes partes simul sumptas exhibere totum; alias enim totum non esset totum, sed mancum & mutilum.

*Suppono V.* quod Christus nativitate suâ inchoaverit Seculi I. annum I. diem I. horam I. minutum I. Hoc suppositum Æram Dionysianam respicit, & præterea more nobis Christianis usitato, Christum die 1. Januarii natum fingit, atque inde annos Christi nati numerandos docet. Itaque *Concludo I.* à minuto I. nativitatis Christi inchoandum esse annum I. Seculi Imi. Unde enim alias Æra Christi inchoaretur? *Concludo II.* Seculum Imum terminari ultimo puncto anni centesimi. Si enim primo puncto anni centesimi Seculum finiri diceres, tuum seculum non haberet annum centesimum, non haberet decem decades, sed tantum novem decades & unam enneadem; item, tuum totum non esset totum, sed unâ parte mutilatum. Restat igitur, ut dicas, ultimo puncto anni centesimi Seculum primum finiri. *Concludo III.* In subsequentibus Seculis primo minuto anni I. ex. gr. anni 101, 201, 301, 401. &c. inchoari seculum, & ultimo minuto anni centesimi ex. gr. anni 200, 300, 400. &c. finiri. Dubitas? Atqui ita sibi semper respondent norma & normatum. Subsumo: Ita accidit in Seculo I. quod est reliquorum norma, E. idem in normatis i. e. in sequentibus Seculis observetur, est necesse.

§. XVII. Facile jam colligitur, quomodo decidenda sit illa quaestio, quam in Gallia motam novellæ Hamburgenses præteritò anno nunciarunt. Quæsitum est ibi, cuinam Seculo annus 1700. debeatur? R. ego: centesimus à C. N. annus debetur Seculo primo, ut decem decades compleat, E. & annus 1700. debetur Seculo XVII. i. e. annus 1700. est Seculi XVII. centesimus, seu ultimus. Negas? ergò restat, ut dicas, annum 1700. esse Seculi XVIII. primum, annum 1701. esse secundum, 1702. esse tertium, 1703. esse quartum annum. Tu hoc dices? & non erubesces? Habeo præterea Virorum Doctorum consensum, qui centesimum quemque annum non in principio sequentis, sed

in fine præcedentis Seculi ponunt. Faciunt hoc in Tabb. Chronologicis Helvicius, Schraderus, Stübnerus, Cörberus &c. Cl. Hartknoch annum 1300. non in principio 14ti, sed in fine XIII. Seculi ponit, dicens: Zu Ende dieses dreißigjährigen Seculi ist der Pabst Bonifacius VIII. so weit kommen / daß er in dem Jubel-Jahr / so er selbst zu allererst 1300. angestellet ic. l.c. pag. 69. Sed quid mihi cum auctoritatibus, qui tot rationibus armatus incedo?

§. XVIII. *Queritur II. Quomodo scripti seculorum & annorum numeri sint pronuntiandi?* R. primus à dextra numerus est (velut in alia qualibet numeratione) monadicus, proximus decadicus, tertius (sive unus, sive duo) est centuriæ, sive Seculi. Modus pronuntiandi est duplex, *Primò, per annum supra Seculum.* Hic numeri annorum decadici & monadici priore, posteriore autem locò centenarii, sive anni seculi pronuntiantur, h. m. prout scripti sunt, ex. gr. 123. est annus vigesimus tertius supra seculum primum. 354. est annus quinquagesimus quartus supra Seculum III. 1601. est annus primus supra seculum decimum sextum. *Obs.* Hic modus pronuntiandi non est universalis. Non enim potest adhiberi (α) in annis Seculi primi pronuntiandis, quia annos *supra Seculum* quærit; in Seculo autem primo omnia adhuc sunt *infra Seculum.* (β) In annis ipsorum centenariorum, qui ipsa integra Secula & nihil *supra Seculum* exhibent. Quapropter annum præsentem 1700. per hunc primum modum non pronuntiabis. *Secundò per annum Seculi;* qui modus prout est universalis, ita etiam est difficilis. Quoniam autem h. l. non Seculum completum, sed currens intelligitur, quapropter primò annos decadicos & monadicos, deinde non hoc seculum, quod scriptum vides, sed proximè subsequens pronuncia h. m. 102. annus secundus Seculi secundi. 314. annus decimus quartus Seculi quarti. 904. annus quartus Seculi decimi. 90. annus nonagesimus Seculi primi. 1699. annus nonagesimus nonus Seculi decimi septimi. 1701. annus primus Seculi decimi octavi. *Observa.* Ubi loco numeri monadici & decadici sunt Ziphra, ibi est annus Seculi scripti centesimus seu ultimus. ex. gr. 100. est annus Sec. I. ultimus. 1000. est annus Seculi decimi ultimus. 1500. est annus Seculi decimi quinti ultimus. 1700. est annus seculi decimi septimi ultimus sive centesimus.

§. XIX. *Queritur III. Quomodo numeri seculorum & annorum pronuntiati sint scribendi?* Hujus rei notitia è quæstione præced. fuit. I. Si pronuntietur *annus supra Seculum*, tum ipsum pronuntiati seculi numerum tertio à dextra loco pone, deinde annos sive monadicos, sive decadicos annecte, ex. gr. annus supra Seculum quartum decimus quintus est 415. supra Seculum nonum octavus est 908, supra Seculum decimum vigesimus est 1020. II. Si pronuntietur *annus Seculi*, tum tertium à dextris locum occupet numerus Seculi non pronuntiati, sed proximè præcedentis; anni verò ut pronuntiantur, ita etiam scribuntur; ex. gr. Seculi primi annus quadragesimus est 40. Seculi quarti nonus est 309. decimi decimus est 910: undecimi decimus est 1010: decimi sexti quintus est 1505: decimi septimi ultimus est 1700: decimi octavi primus est 1701.

IS, QUI CONDIDIT SECULA, & IS, PER QUEM CONDITA SUNT SECULA, LAUDETUR IN SECULORUM SECULA!

06 (0) 00

ULB Halle

001 563 734



3





V I R O  
O, PRÆCLARISSIMO atq; DOCTISSIMO,  
DOMINO  
MICHAELI  
DYNOVIO,  
censis Scholæ Rectori  
optimè merito,  
Patrono, Benefactori & Præceptor  
quondam suo,  
i venerationis cultu prosequendo,  
anni exordium, feliciorum ruentis  
Seculi epilogum,  
omnigenæ prosperitatis confirmationem  
& tractationem apprecatur,  
primitias hæc Academicas

*Piâ mente manuq;*

*consecrat*

BARTHOLOMÆUS ANDREÆ.

